



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani**

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad  
præsens emanatis

Complectens III. & IV. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas  
Missalis

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

De Dominicis post Epiphaniam usque ad Septuagesimam. VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39964**

sunt dici Missa Votivæ privatae, neque Defunctorum, ut patet ex suprâ allegato Decreto dato in nostro Indice sub n. 217. edito die 28. Augusti 1627. unde infra Octavam etiam præsentem corpore, ut benè advertit Halden *cit. loc.* dictæ Missa privata Defunctorum celebrari non possunt. Quod si ex gravi causa diebus infra hanc Octavam dicatur Missa Votiva sollemnis, eaque habeat Præfationem propriam, debet hæc in ea dici, ut suprâ adnotavimus in Missis Votivis sollemnibus, quæ celebrari possunt infra Octavam Nativitatis. Si autem prædicta Missa Votiva sollemnis non habeat Præfationem propriam, tunc dicenda est *Præfatio Epiphaniæ*, ut & hujus *Communicantes*, sive habeat, sive non habeat Præfationem propriam. Si autem Votiva illa sollemnis sit Missa de Requiem, quæ præsertim coram corpore dici potest, tunc *Præfatio*, & *Communicantes* erit commune, nam in Missis quibuscumque Defunctorum hæc nunquam variantur, quocumque tempore legantur.

### Novæ Observationes, & Additiones ad Gavanti

#### Tit. IV. De Dominicis post Epiphaniam, usque ad Septuagesimam.

I. Gavanti. pag. 178. col. 1. n. 1. *Cur sex tantum Dominicae intercurrant, &c.* Dominicae post Epiphaniam, usque ad Septuagesimam possunt esse, vel ad summum sex, vel ad minimum una; quod enim propior Epiphaniæ, vel ab ea remotior est Septuagesima (quæ quidem major, aut minor distantia à Paschatis mobili Festo dependet) eò pauciores, vel plures, sunt Dominicae infra hoc tempus; & hinc positum est in Breviario Romano Officium sex Dominicarum post Epiphaniam, & in Missali describuntur sex Missæ dicendæ in sex Dominicis, quæ ad summum occurrere possunt post Epiphaniam. Quod si alicui, vel aliquibus illarum post Epiphaniam celebrandis locis ordinarius non sit tunc vel celebrantur Sabbato Septuagesimam præcedente, vel transferuntur post

Infra Octavam Epiphaniæ dicitur eadem Missa, quæ in Festo, & post Orationem dici dicuntur Orationes: *Deus, qui salutis aeternæ, &c. & Ecclesia*, vel *pro Papa*, nisi occurrat Festum simplex; tunc enim tertia est: *Deus, qui salutis, &c.*

De diebus infra Octavam Epiphaniæ occurrentibus, agit etiam Grancolas *loc. cit. cap. 31.* ubi varia congerit, quæ spectant ad sacram eruditionem, præsertim Officii, Antiphonarum, Lectionum, &c. quæ olim dicebantur, & hodie adhuc dicuntur in prædictis diebus, & in Octava ejusdem Festi Epiphaniæ.

De Festis autem duplicibus, & aliis, quid agendum sit infra dictam Octavam Epiphaniæ, pendet, ut ait Gavanti *num. 18.* à Rubrica Breviarii, ubi cum ipso nos quoque de prædictis Festis, & aliis sermonem habebimus.

Dominicam 23. post Pentecosten, ut patet ex Rubrica Missalis, quæ habetur post Missam, quæ dicitur in Octava Epiphaniæ.

Ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificationem, nisi fuerit duplex, post Orationem diei, in Missa dicuntur istæ Orationes: *Deus, qui salutis aeternæ, &c.* nisi ratione *Menstris*, aut *Feriae II.* dicendum sit *Fidelium, &c.* (tunc enim hoc dicitur secundo, seu penultimo loco, tertio autem *Deus, qui salutis, &c.*) tertia *Ecclesie tuae, &c.* vel *Deus omnium Fidelium, &c.* pro Papa: post Purificationem vero Oratio secunda est *A cunctis*, tertia ad libitum; nisi rursum ratione *menstris*, aut *Feriae 2.* dicenda sit loco secundo Oratio *Fidelium*, & tertio *A cunctis*. Denique eadem secunda Oratio *A cunctis*, & tertia ad libitum, in Missa dicitur

tur pariter post diem 2. Februarii, in casu, quo occurrat transferri Festum, seu potius Officium Purificationis B. M. V. ut liquet ex Decreto emanato die 14. Februarii 1705. dato in nostro Indice sub n. 588.

II. Gavant. pag. 178. col. 2. n. 3. *Secunda Dominica Missa dicitur semper, &c.* Si Dominica Septuagesimæ fuerit Dominica 2. post Epiphaniam; tunc in præcedenti Sabbato, si non fuerit impeditum Festo semiduplici, dicitur Missa de Dominica secunda post Epiphaniam cum supradictis Orationibus. Si verò Festum simplex in eo occurrat, de eo faciendâ est commemoratio in Missa Dominicæ; si verò Sabbatum illud fuerit impeditum Festo aliquo semiduplici, tunc prima die post Octavam Epiphaniæ, in qua non fit Festum duplex, dicitur Missa de secunda Dominica, & Festum semiduplex in eo occurrens transfertur in primam diem similiter non impeditam. Ita colligitur ex Rubrica Missalis, quæ habetur ante Dominicam secundam post Epiphaniam.

Nunc verò in recenti Decreto edito à S. R. C. die 29. Novembris 1721. ita habetur -- Officium proprium SS. Nominis JESU, quod aliis plerisque Christiani Orbis Provinciis, & Regnis, variisque particularibus Ecclesiis, & Ordinibus Regularibus fuerat concessum, imposterum ab omnibus Christianis, tam Secularibus, quam Regularibus utriusque sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, sub Ritu duplici secundæ classis, Dominica secunda post Epiphaniam recitari, & Missam respectivè celebrari debere, indulget S. R. C. die 29. Novembris 1721. annuente Innocentio XIII. sub die 20. Decembris ejusdem anni -- Ex vi igitur prædicti Decreti, in prædicta Dominica secunda post Epiphaniam, celebranda est Missa de SS. Nomine JESU, cum commemoratione præfata Dominicæ, & Evangelio in fine. Quando autem prædicta Dominica secunda post Epiphaniam non habuerit propriam sedem Dominicalem, ob

Dominicam Septuagesimæ occurrentem die 18. vel 19. vel etiam 20. Januarii (in quibus casibus agendum est de prædicta Dominica secunda, ut superius exposuimus) tunc, cum prævaleat Dominica prædicta Septuagesimæ, sicut prævalet occurrente in ea Festo Purificationis B. V. M. Officium SS. Nominis JESU erit transferendum ad primam diem non impeditam, & sic etiam Missa correspondens dicto Officio. In prædicta Missa SS. Nominis JESU, quamvis in pluribus Missalibus impressa fervetur sequentia, quæ incipit: *Lauda Son Salvatoris JESU nonnen, & amnis*, hæc tamen non est dicenda nisi à Fratribus Minoribus S. Francisci, tum quia in concessione antea facta Societati JESU Anno 1701. 1. Octobris, dicitur expressè: *Exclusa tenet sequentia*; tum quia post hanc universalem concessionem, Missa Romæ impressa non continet dictam sequentiam. Rursus dicta sequentia omitti pariter debet à Cappellanis, seu Confessariis non Franciscanis, in Ecclesiis Monialium Ordinis S. Francisci; nam præfati Cappellani possunt quidem in dictis Sanctimonialium Ecclesiis dicere Missam de Festo, de quo ipsæ Moniales recitant Officium, ut alibi diximus, & liquet præsertim ex Decreto edito die 20. Novembris 1717. & dato in nostro Indice sub num. 634. sed prædicta Missa descripta jacet in Missali Romano, in qua non habetur dicta sequentia.

III. Gavant. pag. 179. col. 2. n. 5. *Dominica VI. post Epiphaniam desiderata fuit, &c.* De Dominica VI. post Epiphaniam, nullum habebatur Officium, nec Missa, quia raro accidit, ut sex occurrant Dominicæ ab Epiphania usque ad Septuagesimam, & si quando accidisset, in VI. Dominica repetebatur Officium, & Missa quintæ Dominicæ, Plur autem V. ut notat Gavantus *hic*, interseri jussit Officium proprium, nec non Missam pro VI. Dominica.